



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

3. De sacrilegio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)



lito Pal. 1. 3. 27. d. 11. n. 8. Negari non potest, (inquit) Maleficium destructionem illius signi ad unum si-  
gnum dirigere (intellige ad desinendum nocere) & non  
ad aliud (intellige, & non ad sanantem positivè con-  
cedendum) concedo igitur (sic habet *num. 10.*) nemi-  
ni licitum esse uti signis à dæmone datis eo fine, ut dæ-  
mon excutatur ad fidem servandam, vel sanitatem con-  
cedendam. At bene poterit illis signis uti, ut tollatur  
dæmonis incentivum, quod habebat ad nocendum.  
Quod autem demon destructo signo, non solum cesset  
nocere, sed etiam concedatur salutem, per accidens est  
intentionis deservientis signum, non enim destruens si-  
gnum illam sanitatem consequi, destructione pretendi-  
tione Castrop. quæ est ipsissima doctrina Sanchez modo  
allata.

Obsecundò. Esto illa positio signi contrarij sit  
posita, ut eo signo posito, demon desinat nocere. At po-  
tè evenire, ut ea positio signi non sit solum pacti prio-  
ris destructio, sed sit novum pactum, ob quod demon  
nocere desinat, ergo tunc esset novum maleficium.

Respondio. Novum pactum non potest in-  
ter nova confessione duorum, atque adeo nisi destruens si-  
gnum consentiat. At ipse nullatenus consentit, solum  
enim intendit prioris pacti dissolutionem, & nihil præ-  
terea. Adde primò, non consuevisse dæmonem, pro  
nova pacificanda conventionem, rem bonam, imò nec re-  
gulariter rem ex se indifferentem adhibere, semper enim  
aliquid vani saltem admiscet.

Adde secundò. Cum mihi non constet, hoc esse no-  
vum pactum (pactum enim non destruitur novo pacto,  
sed solum recedendo, ab ipso) cum non constet, in-  
quom, hoc esse novum pactum, ad summam dubia res  
est, quare querendum restaret, quid in dubio hoc fa-  
ciendum esset: Id quod jam subdo.

Inquires enim. Licet bene ponere ejusmodi contra-  
rium signum, quando omnibus expensis dubium est,  
an talis signi positio sit maleficium, atque adeo novum  
pactum? Lavare enim se, ex Sanchez citato; vel reper-  
cutere, ex Lessio cit. clarè non sunt maleficia. Sed quid,  
si sit, v.g. lavare se cum aqua benedicta, vel dicendo  
quædam verba, de quibus dubitetur, an sint vana, unde  
dubitetur, an illa locutio, vel percussio sit novum malefi-  
cium?

Respondio, Lessius *loc. cit.* inclinat, licere, sed cum  
protestatione non consentiendi pactui fortè nova. Si  
licet, inquit, non licet, si res sit dubia, non enim licet  
est uti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an  
contineat tacitam dæmonis invocationem, hoc enim  
est, se exponere manifeste periculo superstitutionis; nisi  
forte id fiat cum expressa voluntate, contra tacite protesta-  
tione. Hæc Lessius.

Verum absolute nunquam licere, docet Sanchez, *loc. cit.*  
his verbis: *Addit Lessius, si dubium sit, an id signum sit superstitiosum, non licere, nisi fortè præmissa contraria voluntate protestatione. Sed nec hoc modo audeo id approbare.* Hæc Sanchez. dumtaxat; ubi vides nullam hic ab ipso rationem afferti, unde illud non approbet. Affert tamen Castrop. *loc. cit. num. 10.* qui hanc sententiam Sanchez adheret, & sic habet: Bene advertit Sanchez, si dubium sit, an medium, quod assumitur superstitiosum, aut illi-  
citurum sit (quosque dubium deponas) te non posse illo uti,  
quatenusque protestaris nolle ullam cum dæmone socie-  
tatem habere, quia hac protestatio non vincit dubium,  
neque purgat malitiam, quæ in illo esse potest. Hactenus  
ille.

Ego in praxi sententiam Lessij libens amplecterer. Et  
ratio esse posset, quia semper in eo dubium est caput, unde  
dubium deponere facile queam, quæ dispositione habi-  
ta, concedit ipse Castrop. Palas. Nam quando est dubium,  
an hæc res, quæ adhibenda est, sit superstitio, necne, ju-  
dicandum practice est, non esse superstitutionem, quia prius  
est, rem esse indifferentem, imò, & bonam ex se, &  
deinde est, seu supervenit, esse malam ex pacto cum dæ-  
mone; ergo donec ostendas, supervenisse pactum, sem-

per possidebit indifferentia, vel bonitas. Cum ergo ne-  
mo possit, vel debeat deici à sua possessione per super-  
veniens dubium, ut latè diximus *lib. 1. cap. 3. per totum*,  
prævaleret in casu nostro negatio superstitutionis, atque  
adeo deponetur dubium.

Dixi (implecterer) nam absolute tunc amplectar, quan-  
do eam tute maturius expensa, sapiens lector excipies.

De penis contra prædictos, atque eorundem absolutione.

14. Contra divinatores, sortilegos, &c. si hæc sim  
externa non committant, nullæ sunt penæ in jure la-  
te, nisi fortè ferende: nam si superaddatur hæresis, erit  
excommunicatio lata in Bulla Cœnæ, de qua suo loco  
dictum est; penæ autem à Judicibus inferendæ ad no-  
stram tractationem minus pertinent, de quibus nihilo-  
minus lege Farinæ *num. de her. q. 181. à n. 51.* aliisque  
ab ipso citatos.

15. Quoad absolutionem: si cum hæresi formali,  
& externa, adjuncta sit culpa prædictorum, ille solus po-  
test absolvere, qui potest hæresim, de quo *supra, cap. 1.*  
*§. 8.* satis vidimus; Si hæresis intermissa non fuerit, qua-  
libet adoratio dæmonis, pactum, commercium, su-  
perstitio, & quodcumque aliud, quod hæresim forma-  
lem externam non contineat, poterit absolvi à quolibet  
ordinario Confessore, nisi tamen aliqua ex his in Dic-  
tæsi sint ab Episcopo reservata: ita plures apud Dian. 1.  
*par. tract. 5. resol. 8.* cum Bulla Cruciatæ, & sine illa *p. 3.*  
*tract. 4. resol. 143.* vide etiam *part. 4. tract. 4. resol. 240.* De  
abortu est quedam peculiaris dispositio, de qua dicam  
*lib. 2. cap. 2. §. 4. n. 8.* Ratio est, quia, cum hæc omnia, licet  
gravissima scelera, non subjaceant excommunicationi  
latæ sententiæ, non sunt Summo Pontifici reservata,  
huic enim nullum crimen regulariter reservatur, nisi ra-  
tione excommunicationis, ut diximus in *nostro episc. de*  
*confess. lib. 3. c. 7. §. 1. n. 2.* Nec sunt ex jure reservata Episcopo,  
quia, ut *ibidem* diximus, nulli casus vel excom-  
municationes sunt hodie Episcopo in jure reservatæ. Re-  
manet igitur, ut nisi in aliquo loco peculiari reservatione  
afficiantur, liberè possint ab ordinariis Confessoribus  
remitti: multò magis virtute Bullæ Cruciatæ ita Diana,  
*l. c. & Escob. in summ. tract. 7. exam. 4. Spotsine Confess.*  
Nec obstat reservatio DD. Inquisitorum, nam hanc esse  
solum pro externo foro habes apud Dianam, aliisque  
apud ipsum.

#### §. III. De Sacrilegio.

1. Sacrilegium propriè est sacra rei læsio, seu viola-  
tio. Ita S. Th. 2. 2. q. 99. art. 1. lege Suar. *tom. 1. de Rel.*  
*tr. 3. lib. 3.* aliisque passim. Dico (propriè) nam frequen-  
ter quælibet irreligiositas, hoc est, irreverentia contra  
Deum, quæ est genus ad omnem culpam Religioni ge-  
nericè sumptæ oppositam, dicitur sacrilegium: sic idolo-  
latra, pactum cum dæmone, superstitio, & alia similia  
peccata sacrilegialatè nominantur. Propriè igitur sacrilegium  
solum respicit rerum sacrarum violationem: Quæ  
res sacræ, hoc est, ea omnia, quæ lege divina, vel Ec-  
clesiastica ad cultum Dei sunt destinata, quæ ad tria  
communiter reducuntur, nempe ad personas sacras, ad  
locum sacrum, ad res sacras, idè triplex sacrilegij ge-  
nus constituitur, quodlibet suas species continens, utque  
specialiter in confessione aperiendas; cum teneamur, ut  
diximus *lib. 2. Method. Confess. cap. 1. §. 9. n. 59.* confiteri ex  
Tridentino singulas species, & singula numerò peccata.

Sacrilegium circa personas sacras: remissè.

2. Personas sacras, hoc est, vel vitæ statu per vo-  
tum, vel sacro Ordine Deo peculiariter destinatas, qua-  
tuor modis, atque adeo quatuor speciebus sacrilegij,  
offendere potes; Primò, per violentam manus injectio-  
nem, de qua agitur, cum explicatur excommunicatio: Si  
quis suadente. Secundò, per usurpationem jurisdictionem,  
personas



personas Ecclesiasticas ad Iudicium seculare trahendo, vel iisdem vigilia imponendo, de qua re agi solet in *tractatu de immunitate personarum Ecclesiasticarum*. Tertio, per rapinam & furtum, de quibus in *tractatu de Restitutione*, & nos quæ sufficiunt l. 2. *Method. conf. cap. 8. §. 2.* explicuimus. Quarto, per actiones venereas, de quibus in sexto Præcepto differitur, quæque nos breviter ibidem c. 7. §. 5. à num. 30. attigimus, quantum scilicet necessarium pro Confessoribus iudicavimus; quibus tamen adde sequentem resolutionem.

3. Nudius tertius Græcus Sacerdos uxoratus, quæsit à me, An ipse si aliam à sua cognosceret, præter adulterium, contraheret peccatum sacrilegij eo, quod sacro Ordine initiatus contra castitatem peccaret. Respondi, si Sacerdos Græcus in ipsa ordinatione votum hoc nullo pacto emittit, nequaquam contraheret. Ratio fuit, quia ideo Sacerdos sacrilegium turpibus vacando, contrahit, quia siue explicite, siue implicite in receptione sacri Ordinis emittit votum castitatis, sequæ hoc pacto sacrum reddit, id quod non est, si voti obligationem secundamus ita Castro Pal. l. c. p. 3. §. 2. n. 2. circa finem: sed Sacerdos Græcus nullum ejusmodi votum, ut supponimus, emittit, ergo, &c. Dicere enim eum certò emittere votum non tangendi alias præter uxorem, esset gratis loqui, & ego ab aliquibus hujusmodi Græcis id sciscitatus, nihil certi habere potui, quare si tibi Sacerdoti Græco idem dubium sit, an à te id votum emissum fuerit, te votum non obligat, ut universim de votis dubiis *suprà*, lib. 1. cap. 3. §. 7. v. *Votum*, notavimus.

Nec obstat primò, hoc apud Græcos æstimari passim sacrilegium. Nec obstat secundò ejusmodi Sacerdotes, uxore extincta, aliam ducere nullatenus posse. Nam ad primum respondeo, æstimari latè sacrilegium propter gravem circumstantiam non propter speciei diversitatem. Ad secundum, non posse aliam ducere, vi præcepti prohibentis in Sacerdote Bigamiam, non ex vi voti, &c.

4. Hanc resolutionem quidam Doctor minùs approbavit: asserbat enim Sacerdotem Græcum statui Sacerdotali additum multò magis suum statum per fornicationem, etiam abstrahendo à voto, coquinare, quàm per pollutionem, seu effusionem seminis polluat Ecclesia benedicta, quamvis non consecrata: ergo saltem ex hoc capite sacrilegè se gerit. Confirmabat primò, quia per Aragonium l. 2. §. 88. art. 7. ad finem, & Henriquez l. 5. c. 5. n. 6. Religiosus fornicans non solum debet confiteri fornicationem & votum absolute, sed etiam votum solemne professionis, quia à Religioso non læditur votum quomodocunque, verum etiam status Religiosus ergo cum à Sacerdote Græco lædatur status Sacerdotalis, idem erit dicendum.

5. Sed respondi, verum esse ab ejusmodi Græco commaculati sacrum Sacerdotis statum, at intra latitudinem eandem, quâ Christianus lædit suum statum hominis baptizati, id est, hominis participantis Sacramenta à Christo Domino instituta; sed qui non adest votum, non est læsio adversus aliam peculiarem virtutem Religionis, sed solum est notabiliter gravior: cum ergo circumstantia etiam notabiliter aggravantes non constituent diversam speciem, (unde non sint specialiter ex probabili sententia consistenda) ideo nec in casu nostro nova sacrilegij species enascitur. In violatione Ecclesiæ non est mirum inveniri sacrilegium, quia specialis & expressa prohibitio facta in honorem loci sacri transfert illam turpem actionem ad novam speciem: quam prohibitionem specialem in Græco Sacerdote non invenimus. Ad confirmationem respondeo, Aragonium & Henriquez ideo putasse Confessori aperiendum (in casu, de quo loquuntur) statum Religiosum, quia putaverunt circumstantias notabiliter aggravantes esse clavibus speciatim subjiciendas, quam nos sententiam non sequimur.

*Sacrilegium circa loca sacra: remissivè.*

6. De hoc item ea, quæ ad sufficientem cognitionem

non pertinent, alibi meliùs disputantur. Tripliciter enim citò loca sacra sacrilegij labem quis contrahit. Primò, si cum; qui sacrilegium invenit in loco sacro, violenter, vel per fraudem extrahat ab eo loco; Secundò, si in iisdem sacris locis strepitum forensium vel mercatum adhibeat; Tertio, si quis veneras actiones in iisdem locis exercet, de prioribus agitur in *tractatu de Immunitate*; de tertio in *sexto præcepto*; de quo nos in *Method. conf. lib. 2. cap. 7. §. 5. à n. 35.* satis multa deservimus.

*Sacrilegium circa res sacras.*

7. Cum variae sint res sacre, variae & erunt hujus sacrilegij species. Quatuor enumerat S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. Primò, Sacramenta. Secundò, vasa sacra, sanctas Imagines, Reliquiasque Sanctorum. Tertio, ornamenta Ecclesiæ & ministrorum ejus. Quarto, bona temporalia Ecclesiastica in sustentationem Ecclesiæ ministrorum deputata. Scriptura sacra, sacraque ceremonie ad secundum caput reduci commodè possunt. Qui igitur malè, & irreverenter erga hæc se gerit, sacrilegè peccat, quia irreverentia illarum in Deum, qui in iis ritibus, & sacris colitur, tandem redundat.

8. Duo hæc sunt notata digna. Primò: An qui conculat sacratissimam Eucharistiam sit propriè sacrilegus? Ratio disputandi est, quia sacrilegium est rei sacre, hoc est, rei Domino deputatæ violatio: At Eucharistia non est rei Domino deputata, sed ipsemet Dominus: ergo ejusmodi concussio erit quidem atrox irreligiositas, non verò propriè sacrilegium. Respondeo. Communis sententia sentit esse propriè sacrilegium, ita Caiet. 2. 2. q. 99. art. 1. & 3. *sub. 6.* Lessius lib. 2. loc. c. 46. dub. 3. num. 13. alique, quia Eucharistia, licet Deum Dominum continet, est tamen signum gratiæ sanctificantis; est enim Sacramentum: quare prædicta injuria non videtur facta seu exercita immediate circa ipsum Dominum (cum ipse ibi sit invisibilis) sed irrogata ipsi signo visibili Deum significanti, & continenti.

9. Secundò. An qualibet bona Ecclesiastica læsa constituant sacrilegium? Respondeo nequaquam: sed solum ea, quæ aliquo modo sacra sunt, atque in Dei cultum ordinantur: Hæc solent esse bona, quæ destinata sunt ad Ecclesiæ servitium, & ad ejus ministrorum, ut tales sunt, sustentationem. Quare alia bona patrimonialia, vel quocumque alio seculari titulo possessa ab Ecclesiastico, cum non sint verè sacra, locum hæc non speriuntur.

10. Quid, si quis sibi retineat legata vel hereditates, & similia Ecclesiis pro dicto servitio relicta, contrahit præter malitiam injustitiæ malitiam sacrilegij dum non solvit? Respondeo cum Castro Pal. l. c. §. 2. num. 1. contra Valent. & Less. *ibid.* citat. solum injustitiæ, quia donec Ecclesia ea possideat, non sunt sacra: antea enim solum videntur remota destinata ad Ecclesiæ servitium, quæ remota destinatio non videtur esse satis ad rem propriè constituendam.

11. Quid, si quis Decimas non solvat? Respondeo cum Castro Pal. *ibid.* nec hunc fore propriè sacrilegum, sed tamen præter injustitiam incidere in peius crimen, nempe in irreligiositatem, seu irreverentiam immediate contra Deum: ita Deum *ibid.* Ratio est, quia solutio Decimarum est ordinata in recognitionem supremi dominij Dei, ergo eas negans, obtristat Deum recognoscere, quod est nolle exhibere cultum Deo debitum: sicuti si quis jussus legitime aliquo actu Deum venerari, illum venerari negligeret.

*An temporis violatio constituat aliquando sacrilegium propriè dictum.*

12. Uto verbo. Tempus estne objectum sacrilegij? v. g. qui die festivo, vel tempore Quadragesimæ, &c. peccaret, contraheretne speciem sacrilegij? Respondeo, de hac re me dixisse in *opusculo. Meth. Confess. lib. 2. cap. 7. §. 5. numer. 40.* ubi resolvi non contrahere: addidi tamen contrahi non raro posse culpam irreligiositatis contra



contra reverentiam Deo debitam, ut si comedas, vel ly-  
dica spectacula die Veneris Sancto celebrare, v.g. quis  
dicitur in hoc enim facto non solum esset scandalum po-  
tibile, sed etiam irreverentia erga Christi Domini Passio-  
nem.

An voti violatio sit sacrilegium.

1. Vovet quis jejunium, v.g. si id non exhibeat, astine-  
re. Respondetur, ita videri plerisque apud Valent.  
2. 4. 1. 1. p. 1. initio. Ratio est, quia eo ipso, quod res  
voti dicata Deo est, Deo est destinata: ergo si violetur,  
facile violatur. Sed certe probabilius est cum Suarez  
non. 1. de Relat. 1. 3. lib. 3. a. n. 5. non ita esse; tunc enim  
peccatur quidem contra fidelitatem Deo debitam, quod pro-  
prie violatur, sed non proprie cum sacrilegio, quia nihil sa-  
crilegium, sed non proprie cum sacrilegio, quod pro-  
prie violatur. Neque obstat per votum Deo rem destinari,  
non obstat, inquam, quia non destinatur nisi in ordine  
ad ipsius executionem, solum scilicet, ut res promissa  
executioni mandetur, non vero ipsa (donec actu Deo  
debetur) sit sacra. Si quando ergo hac infidelitas, & sa-  
crilegium, seu irreverentia sacrilegia nominatur, late, ut in  
simili supra dictum est, sacrilegij nomen usurpatur.

#### §. IV. De Blasphemia.

Quid, & quomplex sit.

1. Blasphemia est convitium, seu verbum contume-  
lium contra Deum: ita S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 2.  
est igitur peccatum contra reverentiam Deo debitam,  
quod, An habeat parvitatem materiae, supra, lib. 1. c. 1.  
§. 3. diximus.

2. Alia est haeretica, ut: Deum est injustum. Id quod si  
etiam sic mente affirmetur, non haeretica solum erit,  
sed etiam haeretica, utraque Inquisitori deferenda: ita  
Sanchez lib. 1. de Decap. 3. 2. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 6. n. 7.  
Bon. circa 2. dec. praec. dist. 3. q. 6. p. 1. Alia est simplex, &  
quidem quadruplex: Enumerativa, ut: Ad Injuriam Dei  
non hoc est. Detestativa, ut: Perest Deus, maledictus  
sit Deus, displicet Deo. Irrisoria, ut: Vah, qui destruis  
templum Dei: idemque erit, si nominentur irrisorie  
membra Christi Domini pudenda. Juratoria, quando  
scilicet cum blasphemia quis jurat, ut: Perest Deus, si  
ita non est, vel erit, &c.

3. Rursus blasphemia committitur, vel aliquid demen-  
do ad Deum, Sanctive, vel aliquid inidem addendo, Demis-  
si dicat, Deum non esse omnipotentem, non misericor-  
dem, non providentem, Sanctos non esse in gloria, &c.  
Adversus, si dicat Deum esse crudelē, Sanctos esse impu-  
dicos, &c. Sive autem addas, vel demas eo interceptum  
inhonorandi Deum, sive sine tali expressa intentione,  
quia tamen sic addendo, vel demendo verē inhonoras  
illis verbis Deum, blasphemus eris, & quidem puto de  
dem specie blasphemiam, cum uterque modus sit tandem  
se resolvatur contra Dei reverentiam: ita colligitur ex  
Castro Pal. tom. 3. dist. 2. de tem. & p. 2. §. 2. num. 3. licet  
disting. contrarium sentiat num. 6.

4. Denique, alia est in Deum, alia in Sanctos, alia  
in ceteras creaturas, sive rationales, sive irracionales  
adverteudo, ut sit blasphemia, illa, quae jacitur in San-  
ctos, vel ceteras creaturas, debere semper redundare in  
Deum: quis enim vel dicat, vel impiecerit malum tem-  
peratū, seu venis, certe, si praescindat ab eo, quod hac  
referatur ad Deum tanquam ad Creatorem ipsorum,  
injuriā, non Deo, sed ipsis creaturis faciet, ut nox cla-  
rius explicabitur.

5. Atque hinc vides, cur torquere convitium in San-  
ctos, semper sit blasphemia, non autem semper in alias  
creaturas: quia nimirum Sancti semper referuntur, seu  
apprehenduntur referri ad Deum, sive ut ipsos glorifi-  
cantem, sive ut ipsorum amicum: non semper creaturae  
ceterae. Nam propterea qui maledicit patri, v.g. impius  
quidem erit contra reverentiam debitam patri ex qua-  
to precepto, & aliquando contra Charitatem ejusdem,

si ex animo aliquid malum ei desideraret, ut mox expli-  
catius dicam: at non, erit irreligiosus in Deum contra  
praeceptum hoc, de quo agimus.

Deinde blasphemia quaecunque joco prolata regu-  
lariter est mortalis, ex Sanchez lib. 1. cap. 3. 2. n. 4. 1. Castro  
Pal. tract. 17. d. 2. p. 2. §. 2. quia adhuc sic prolata vergit in  
diminutionem Divini honoris. Dixi (regulariter) nam si  
talis esset jocus, & omnibus expensis nulla diminutio  
Dei honoris appareret, quod raro esse posse mihi vide-  
tur) certe mortalis blasphemia non esset, quia blasphe-  
mia verē non esset, quippe cui deesset blasphemiae essen-  
tia, & de hoc rarissimo casu intelligi debet Valentia 2. 2.  
d. 4. quae. 1. 3. cum dicit blasphemiam joco prolata non  
esse blasphemiam.

Blasphemia denuncianda.

6. Quatuor hic nota. Primò, blasphemias haereticas  
esse Inquisitoribus, ut modò innui, ab audientibus de-  
nuntiandas, juxta regulas denuntiationis, de quibus alibi:  
ita Sanchez, loc. cit. n. 37. simplices verò Judici Ecclesiasti-  
co, vel seculari, nam ita praecipunt decreta Julij Tertij,  
& Pij Primi, quae tamen decreta, quoad simplices blas-  
phemias, propter defectum obligationis nequaquam vi-  
dentur. Vide Castro Pal. cit. §. 4. n. 3.

Correctio Blasphemiae.

7. Secundò, nota audientem blasphemiam non teneri  
blasphemantem increpare, nisi periclitetur honor Dei,  
qui raro nunc inter Fideles periclitatur: ita Sanchez, ibid.  
n. 46. Immo increpare blasphemantem non expedit, cum  
ferret ira, quia is irritaretur magis: Correctio igitur fra-  
terna debito loco, & tempore reservetur.

Modus confitendi Blasphemias.

8. Tertio pro praxi Confessariorum, quoad blasphe-  
mias, a nobis dicta in nostro opusculo, de confess. lib. 2. cap. 2.  
§. 1. recolantur, ubi resolvimus omnes blasphemias esse  
ejusdem rationis, sive in Deum, sive in Beatam Virgi-  
nem, sive in Sanctos, &c. Adde nunc varias blasphemias  
in Deum, variāque in Sanctos, &c. non differre specie.  
Unde satis est in confessione dicere, totius blasphemavi.  
Ratio est, quia omnes specificantur à contumelia, quae  
Deo inferitur. Excepi blasphemiam haereticalem, illa  
enim superaddis, ut modò dixi, peccatum infidelitatis,  
si aderit error intellectus, vel peccatum contra prae-  
ceptum de externa confessione Fidei, si solum ea fuerit  
verbalis, &c.

Discrimen inter blasphemiam, & maledictionem.

9. Quartò, quia saepissimè indignatio blasphemantis  
est solum contra homines, ideo mihi placet regula Lay-  
m. lib. 4. tr. 2. c. 6. n. 1. 2. quae est hujusmodi: Si penitens neget  
affectum indignationis suae, erga Deum directè se extendisse,  
sed solum adversus hominem, vel jumentum, cui iratus fue-  
rit, tunc Confessarius attendat ad verba, quibus homo usus  
fuit, si enim secundum se divini honoris diminutionem nullam  
exprimunt, non censenda est blasphemia, neque mortale pec-  
catum; si autem verba tali, aut tali modo prolata sint, ut  
contumeliam Dei, aut Sacramentorum significant, videbitur  
per mille Sacramenta, per septem Sacramenta, perdat te De-  
Christus, censeri debent blasphemiam, dummodo homo attende-  
rit ad vilipensionem Dei, aut rei sacrae, quae talibus verbis  
exprimitur, saepe autem ejusmodi verba blasphemiam prefe-  
runt inadvertenter, ac materialiter tantum, non attendentes,  
quid significant, tum verò excusantur à gravitate peccati  
propter imperfectionem cognitionis ac voluntarij, modò inte-  
rim continentur perversam ejusmodi consuetudinem deponere.  
Hac Layman.

10. Ubi nota, si blasphemia sit sine relatione ad  
Deum, solum contra creaturas rationales, vel irra-  
tionales contorqueatur, proptèr vocari maledictionem,  
& ut dictum est; communiter esse culpam venialem,  
quia